



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. iij. An, & quomodo ad actionem necessaria sit dissimilitudo agentis & passi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Quæst. I. Sect. II. de Condit. alterationis. 323

tuali, nego: quod autem agit in seipsum, est in actu formali & potentia virtuali; non enim habet actum, & caret actu; sed habet virtutem operandi, & actu operatur, quod cuilibet agenti conuenit. Piper & vinum, tametsi calorem habent virtualem in seipsis, quo stomachum calefaciunt, non calefaciunt tamen se ipsa, imò nec manum calefaciunt si ea tractes; quia calor ille virtualis vim suam non exerit nisi adiutus & excitatus à calore stomachi, cum quo talem habet sympathiam, ut sine illo non possit agere. Neque repugnat Philosophus cum ait, omne quod mouetur ab alio moueri; significat enim tantum, quod omnia mobilia causam immobilem habent, à qua esse acceperint; non loquitur autem de motibus aliis, qui sine dubio sunt interdum à principio immanenter operante. Verum autem est, quod totum animal non potest vniquam ita moueri, quin vna eius pars moueatur, & altera quiescat, etiam si vna & eadem pars esse possit moens, & mota.

Obiicitur secundò. Compositum naturale agit sæpe in seipsum actione corruptiua; vna enim pars corporis aliam alterat, ut patet in viuientibus, quæ sic ab intrinseco sunt corruptibilia. Denique calx in aquam iniecta se ipsam calefacit, & destruit.

Resp. non esse opus ut agens & passum distinguatur supposito, etiam quando agunt actione corruptiua; vnde potest aliquid agens per vnam sui partem agere in aliam, & illam corrumpere. Ad id quod additur de calce, dici primò potest, illam ita porosam esse, ut multi spiritus calidissimi intra ipsam resideant. Dum igitur frigidum aqueum poros subit, coguntur huiusmodi partes, & veluti vniuntur; ideoque agunt vehementius: quod ex eo etiam constat, quia calx vetusta, vel non calefit, vel non ita feruet aquâ iniectâ, eo quod igneæ particule plures exhalarint. Deinde dici etiam potest probabilius, calcem non calefieri à se ipsa, sed ab humido aqueo, quod postquam calefactum est per calorem virtualem ipsius calcis, ipsam deinde calcem calefacit. *Intueamur & miraculum calcis, inquit Augustinus lib. 21. ciuit. c. 4.*

Obiicitur tertio. Per nutritionem & accretionem viuens producit simile in se ipso, & vniuocè agit; nutritio enim partialis est generatio: ergo agens vniuocum agit in se ipsum. Idem probatur etiam in fœno, quod si humidum incluseris, inflammatur; quod idem asserit Galenus de fimo columbino. Hæc autem actio est ab intrinseco, non ab extrinseco. Denique in antiperistasi agens intendit seipsum.

Respondeo viuens in mutatione non agere in seipsum actione vniuoca, sed agere in ipsum alimentum, in cuius materiam suam inducit formam, & eam sibi aggenerat. Fœnum viride, & fimo columbinus plures continent exhalationes calidas, quæ si prohibeantur transpirare, mutuo atteruntur, & agitantur, dum exitum quarunt, & tandem ignescunt. De antiperistasi dicitur *quæst. 2.*

SECTIO III.

An, & quomodo ad actionem necessaria sit dissimilitudo agentis & passi.

Multiplex
similitudo.

Certum est primò multipliciter posse aliquid esse alteri simile accidentaliter, nam de substantiali similitudine hic non queritur; cum certum sit, posse aquam calefieri ab aqua calida. Primò ergo potest aliquid esse simile alteri ratio-

ne naturæ qualitarum; nam v. g. calidum ut vnum, & calidum ut octo similes habent qualitates. Deinde potest aliquid esse simile alteri ratione extensionis; sic enim calidum palmare simile est calido palmari, dissimile bipalmari. Tertio ratione intensiōis, sicut calidum ut quatuor est simile calido ut quatuor, dissimile calido ut octo.

Certum est secundò, quod ad actionem non requiritur prima vel secunda dissimilitudo inter agens & passum; ignis enim calefacit ætem iam calidum, & ferrum candens palmare incendit lignum palmare. Tota ergo difficultas est de dissimilitudine quoad intensiōem qualitaris, vtrum videlicet agens calidum ut quatuor possit producere aliquid caloris in subiecto calido ut quatuor, & intendere illius calorem; vtrum videlicet simile, vel minus intensum possit intendere sibi simile, & magis intensum.

Dico primò, nullum agens vniuocum posse agere in simile intendendo illius qualitatem. Ita censent omnes communius cum Philosopho. Repugnant ex parte Toletus & Aresius; ille pro qualitate quæ reperitur in materia densa; iste pro qualitate, quæ augetur per gradus homogeneos.

Ratio primò à posteriori est experientia: sit enim aqua æqualiter calida; certe illius partes non intendunt se inuicem, alioqui duo calida, vel duo lucida ut vnum intenderent se vsque ad octauum gradum. Deinde à priori ratio est, quia nullum agens potest producere formam, quam non continet: sed si posset aliquid simile in gradu qualitaris intendere sibi simile, v. g. si calidum ut quatuor intenderet calidum ut quatuor, produceret aliquid quod non continet, quia produceret quintum gradum, quem non continet: ergo simile non agit in simile. Altera etiam ratio affertur, quia cessante fine agentis, cessat actio: sed quoties passum est omnino simile agenti vniuoco, cessat finis agentis; nam agens vniuocum non aliud intendit nisi assimilare sibi passum, cum hoc sit esse agens vniuocum: ergo quoties passum erit simile agenti, agens non poterit agere.

Dixi semper agens vniuocum non posse agere in simile; nam de agente æquiuoco aliter debet statui, quia illud non intendit assimilare sibi passum, & continet effectum producendum in subiecto simili; ideo agens æquiuocum potest agere in simile; potest v. g. calx vna calefacere aliam.

Video tamen multa in contrarium posse opponi, & difficillima. Primò de qualitate in materia densa: secundò de multitudine agentium: tertio alia miscellanea.

§. I.

Prima difficultas de qualitate in materia densa.

Sæpe contingit ut duo subiecta sint similia in qualitatibus actiuis, sed dissimilia in densitate: v. g. stупpa sex habens gradus caloris, similis est in qualitate actiua ferro calido ut sex; sed est dissimilis in densitate. Docet autem experientia quod qualitas in materia densa plus agit, quam in materia rara. Ex quo contra propositam assertionem grauis oritur difficultas; nam agens simile, vel etiam minus intensum, potest agere in aliquid seipso

Status quæ-
stionis.

Conclusio
negatiua.

Ratio à po-
steriori.

A priori.

Proponitur
difficultas.

ipso intensius, quando est in materia densa: ergo simile potest agere in simile. Probatur antecedens primò, quia ferrum candens, tamen non sit calidum ut octo, cum non habeat formam ignis, potest producere ignem in stappa: ergo producit aliquid se ipso intensius. Secundò probatur idem antecedens, quia quod habet vim agendi maiorem, potest agere in illud, quod vim habet minorem: sed calidum ut quatuor in materia densiori, maiorem habet vim agendi, quam in materia rariori; quia virtus unita fortior est quam virtus dispersa. Ergo agens in materia densa plus agit, quam in materia rara.

Conclusio
negans.

Dico secundò densitatem materiæ, ac molis magnitudinem conferre quidem ut celerius, & ad maiorem distantiam producat effectus similis agenti; sed non posse conferre ut producat qualitas intensior quam sit in ipso agente. Qualitas ergo in materia densa velocius, & latius producit sibi æquale; sed non producit aliquid intensius seipsa.

Rationes hoc probant allatæ nuper; si enim agens intensum ut quatuor existens in materia densa produceret quintum gradum, effectum produceret quem non continet formaliter, vel eminenter: non formaliter, ut patet: nec eminenter, cum eiusdem sit speciei calor in materia densa, & in materia rara. Deinde agens etiam ageret cessante fine actionis, quæ est assimilatio passivi; tamen enim sit dissimile in densitate, in ea tamen non assimilatur sibi passum, sed in calore. Cessat ergo finis agentis quando passum est simile in calore.

Solutio dubitationis.

Ad argumentum ergo, quod proponebatur, negandum est quod agens in materia densa producat aliquid in passivo simili, vel etiam magis intenso. Ad primam probationem de ferro candenti minus videtur, quod illud ignem habeat in poris, & sic ab eo inflammetur stappa; sed hoc est difficile, quia ferrum quod est densius, & pauciores habet poros, eò magis comburit, & non apparet quodam ibi alimentum habeat ignis. Probabilius ergo dici potest, non esse quidem in ferro candenti vel ignem, vel calorem in summo gradu; sed sufficere omnino septem eos gradus quos habet ad ignendam stappam, eo quod in materia huiusmodi dispositiones habente sufficiens omnino sit hic calor ad producendam substantialem formam ignis, licet ea dispositio non sit sufficiens ad producendam in ferro candente formam ignis ex defectu aliarum dispositionum.

Ad secundam probationem respondeo, agens densius maiorem habere virtutem, quam agens raram, ad agendum celerius, & ad maiorem distantiam; non autem ad plures producendos gradus quam actu habeat, eoque modo fortior est virtus unita, quam virtus dispersa; non intensius, sed extensius.

S. II.

Secunda difficultas de multitudine agentium.

Secundò actionem similis in simile videtur probare multitudo agentium habentium eandem virtutem, vel etiam inæqualem, à quibus intensior producit effectus quam à paucis: mille v.g. candelæ maius producant lumen, quam una: hoc autem posito (quod immeritò, & contra experientiam negat Victoria, & satis inutiliter pro-

bare nititur Aquillonius) probatur dari actionem similis in simile.

Primò quia si eidem medio duæ applicentur lucernæ una post aliam, quæ sint æqualis intensio- nis, secunda intendet lumen productum à prima: ergo simile ager in simile.

Secundò, quando sunt quatuor luminosa ut octo, & unum luminosum ut duo, tunc luminosum ut duo producit octo gradus luminis in medio, quia agit una & indivisibili actione communi cum omnibus luminosis ut octo. Ergo illud luminosum producit aliquid intensius quam ipsum sit.

Tertio, quoties duæ lucernæ lumen habentes ut sex, simul agunt in eodem medio, tunc eundem effectum producant ac si essent solæ; virtum enim coniunctio nihil addit, vel detrahit agentibus necessariis: sed lucernæ singulæ sumptæ seorsum producerent sex gradus luminis: ergo simul positæ producant gradus duodecim, singulæ nimirum producant sex.

Dico tertio, multitudinem agentium partialium nunquam efficere ut intensior effectus producat quam sit agens totale; v.g. mille lucernæ lumen habentes ut tria, non producant in medio nisi lumen ut tria; sed efficere tamen primò ut effectus celerius, & ad maiorem distantiam producat, quam si produceretur à paucioribus. Secundò efficere ut effectus sæpe producat intensior quam si produceretur à paucioribus, imò & intensior ipso agente partiali.

Primæ partis ratio allata est sapius, quia nihil agere potest supra suas vires, sed mille luminosa ut unum non continent secundum & tertium gradum, quantumvis gradus qualitatum sint homogenei, ut dicitur questione sequenti: ergo mille illa luminosa non producant gradum secundum luminis.

Secundam partem probat experientia; constat enim quod mille calida ut sex celerius, & ad maiorem distantiam producant sex gradus caloris, quam unum calidum. Deinde ratio demonstrat, quia quoties agentia plura simul agunt, certum est illa communi actione agere, ita ut à singulis totus effectus prodeat partialiter, v.g. quoties currum plures equi trahunt, singuli totum trahunt: quoties plura corpora luminosa idem illuminant medium, singula totum producant lumen, alioqui si essent mille in eodem cubiculo corpora luminosa ut quatuor, essent in toto aère, & in singulis eius partibus quatuor millia graduum luminis. Ergo multitudo agentium confert ad agendum celerius, & ad maiorem distantiam.

Tertia denique pars probatur, quia effectus esse potest intensior agente partiali, si vix unquam contingat ut causa producat in passivo æqualem intensiorem cum illa intensione quam habet ipsum agens: lumen v.g. quod est in aère, minus est intensum, quam lumen ipsius solis: calor quem producit ignis in manu, minus est intensus, quam calor ipsius ignis. Ergo efficere potest multitudo agentium ut singula plus aliquid producant, quam si essent solæ; etiam si tamen non agent supra intensiorem ipsius agentis totalis.

Imò etiam addebam, agentia illa singula sic agere simul, ut producant effectum intensiorem quam sit agens aliquod parziale: sint v.g. novem lucernæ ut sex, & decima quæ habeat lumen duntaxat ut duo; lucerna ista ut duo simul ager, cum aliis, & producat lumen ut sex. Probatur, quia quoties unum agens coniunctum agit cum alio potentiori, tunc

tunc est vnum agens cum ipso, & coniungit vires suas cum illo agens actione communi; sed propterea est vnum agens, habet vim totam agentis potentioris: ergo agens partiale iunctum cum agente potentiori, habet totam virtutem agentis potentioris, & cum eo agit actione communi: ergo effectus esse potest intensior, quam sit agens partiale seorsum sumptum: centum v.g. equi trahentes nauim, singuli totam trahunt, & supra vires quas habent singuli seorsum: singula particula solis, & singuli gradus lucis totum producant lumen, quod diffunditur per aërem. Hinc ad ea quæ opponantur, non est difficilis solutio.

Ad primum enim respondeo, distinguendo antecedens; candela remissior adueniens intendit lumen in medio productum à priori candela, si lumen illud sit æquale lumini candelæ intensioris, negatur; si sit minus intensum, concedo; vix enim contingit vt agens producat effectum sibi æqualem in intensione, vt notabam.

Ad secundum patet ex dictis, luminosum vt duo esse quidem minus intensum lumine vt quatuor, sumptum seorsum & solitariè; si autem simul sumatur, & coniunctim, non est minus intensum.

Ad tertium negatur maior illa, quod candelæ simul agentes idem agunt quod agerent seorsum & solæ; coniunctio enim agentium auget illorum vires, non solum extensiuè, sed aliquo etiam modo intensiuè; quia nimirum agunt actione communi, & eundem singula producant effectum. Imò etiam fieri potest, vt per illam coniunctionem minuantur vires ipsius agentis partialis, non in actu primo, sed in actu secundo: si enim agentia plura eundem producant effectum, quem producerent per se singula, vel producant illum celerius & latius, vel neutrum exhibet totum conatum, quem exhiberet si ageret solum. Virium ergo coniunctio superaddit extensiuè aliquid agentis, cum partiale illud esse faciat ex totali; & aliquando minuit per accedens conatum agentis, impediendo ne totam vim exerat; agentia enim necessaria non agunt quantum possunt quando impediuntur; hic autem impediuntur, quia cum ab agente vt quatuor iam producti sint in medio quatuor gradus luminis, non poterit quatuor gradus alios producere agens vt quatuor, quia iam inuenit gradus illos productos, quos poterat producere.

S. IV.

Reliquæ difficultates.

Obiicitur tertio. Vbi adest agens, quod potest producere formam; & patiens, quod illam potest recipere, & debita propinquitas, actio necessariò sequitur: sed calidum vt quatuor producere potest quatuor gradus caloris; & calidum vt quatuor potest recipere quatuor gradus caloris: ergo si duò illa calida fuerint propinqua, poterunt inuicem agere; si enim subiectum calidum recipere potest vnum gradum, quare non poterit illum recipere ab agente calido vt quatuor, quod potest illum producere? Si autem calidum vt quatuor potest producere quatuor gradus, quare non poterit producere vnum gradum in subiecto calido vt quatuor?

Confirmatur, quia vbi est minor resistentia, ibi facilius sequitur actio: sed in calido vt quatuor minor est resistentia quam in calido vt vnum, in

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A quo est maius frigus: ergo calidum vt quatuor potest agere in passio calido vt quatuor.

Resp. negando quod agens calidum vt quatuor possit producere quatuor gradus caloris, aut etiam vnum in subiecto calido vt quatuor; produceret enim quintum gradum, quem non continet. Neque obstat, quod quintus gradus eiusdem sit rationis ac primus; nego enim illum posse propterea produci in subiecto habente iam quatuor gradus; quintus enim hic gradus vnum facit cum reliquis gradibus; & sic rursus eiusdem sit rationis seorsum sumptus, iunctus tamen cum aliis non est eiusdem rationis, vt constabit ex dicendis de intensione qualitatis.

B Ad confirmationem resp. vbi minor est resistentia, ibi facilius sequitur effectus, si agens illum contineat; si autem illum non contineat, non sequitur effectus.

Obiicitur quarto, ex variis experienciis constare, quod simile agit in simile; nam phiala vitrea frangit aliam phialam omninò similem, & simili etiam impulsu allisam. Vnum speculum recipit speciem ab alio simili speculo, & immittit speciem in illud. Lapis æquè grauis in alium incidens æquè grauem, illum mouet deorsum. Minor est hyeme frigiditas aëris, quam aquæ; & tamen ab aëre congelatur aqua. Pondus decem librarum augget pondus librarum mille. Quando aliquis recipit speciem vnus albedinis vt quatuor potest etiam recipere speciem alterius albedinis vt quatuor illi omninò similem. Ergo datur actio similis in simile.

Resp. non probari ex his experienciis actionem similis in simile, quæ significat tantum, quod simile non agit in simile intendendo illius qualitatem. Duæ phialæ non agunt inuicem propterea sunt æquè duræ; sed vtraque per impulsu sibi impressum vincit alterius duritiem; & licet vtraque impulsu habeat æqualem, non sequitur illas agere propterea sunt similes, inuicem intendendo qualitates, in quibus sunt similes; vnus enim impulsus non intendit alium.

D Ad alteram experientiam de speculo. Primò quidem actio quæ speculum producit sui speciem, æquivoca est, non vniuoca, de qua sola hic sermo est. Deinde speculum quod recipit speciem ab altero speculo impressam, dissimile illi est, cum careat specie quam recipit.

Ad tertiam de lapide, nego illum agere in simile, quando alium lapidem æquè grauem mouet deorsum; non enim producit in eo nouam grauitatem, sed mouet illum deorsum per impetum impressum, quem habet; vnde actio etiam hæc est æquivoca.

Ad quartam de glacie nego illam provenire ab aëre, sed ab inclusis exhalationibus, quas exire prohibet frigus circumstantis.

E Ad quintam de ponderibus, concedo granitatem ponderis centum librarum fieri extensiuè maiorem per accessum alterius ponderis, sed non intensiuè, ideoque illam non esse actionem similis in simile.

Ad sextam de speciebus. Primò quidem dici facile potest, actiones quæ obiecta suas species producant, æquivocas esse, non vniuocas. Deinde species vnus obiecti, etiam solo numero differentis non facit qualitatem vnā intensiorem cum specie alterius obiecti, sicut cognitio de Petro non intenditur per cognitionem de Paulo. Non sunt igitur octo gradus speciei albedinis, quando sunt in eodem subiecto species vt vnum octo albedinum distinctarum;

Ecce Obiect

Obiici adhuc posse actio reflexa, in qua medium minus intensum producit in speculo lumen intensius, quam in se habeat. Sed de hac actione quaestione sequenti disputabitur.

SECTIO III.

*An, & qualis esse debeat excessus virtutis acti-
nae supra resistentiam passivi.*

PRobavi hactenus, debere agēs excedere passum in qualitate, quam in eo producit; nunc quaeritur consequenter, utrum actiuitas agentis excedere necessario debeat resistentiam quæ est in passivo. Quod aliis verbis quaeritur, utrum dari possit actio à proportionem minoris inæqualitatis: quod ut explicem, primum dico, quid & quotuplex sit resistentia: deinde quomodo illa superari debeat à virtute agentis.

§. I.

Quid & quotuplex sit resistentia.

Certum est primum, resistere nihil esse aliud, quam impedire, vel retardare actionem agentis: considerari autem potest vel in actu primo, vel secundo. Resistere in actu primo, est potentia resistendi, seu impediendi actionem; resistere in actu secundo, est ipsamet resistentia actualis: est autem resistentia in genere, id quo actio alicuius potentia impeditur, vel retardatur ab alio: volo v.g. mouere rupem; rupes resistit impediendo meam actionem: volo mouere lapidem valde grauem; resistit lapis retardando meam actionem, quam tamen non planè impedit.

Certum est secundò, duplicem esse resistentiam, actiuam vnam, alteram negatiuam. *Actiua*, seu positiua, est quæ retardatur actio agentis, eo quod passum producat in eo aliquid contrarium: sic enim v.g. ignis resistit aquæ frigida producendo in ea calorem. Hæc resistentia vera est actio, imò & reactio; potentia verò resitiua illi respondens potentia est actiua. Resistentia *negatiua* definitur, non admissio vel retardatio actionis agentis in aliquo subiecto, proueniens ex incompatibilitate, seu repugnancia alicuius forme, cum forma introducenda per ipsum agentem. Pluribus videlicet modis potest euenire, ut subiectum aliquod non admittat, vel lentè admittat actionem agentis. Angelus v.g. non admittat in se frigus, cuius capax non est; sed illa non est resistentia, quæ non negat capacitatem subiecti ad recipiendam formam ab agente imprimendam; sed est non admissio formæ, propter incompatibilitatem formæ, quæ iam est in subiecto. Duæ v.g. quantitates resistunt sibi mutuo in ordine ad vnum locum; duæ qualitates in ordine ad vnum subiectum; duæ formæ substantiales in ordine ad eandem materiam. Vbi verò non est impossibilitas formarum, non est resistentia.

Certum est tertio, potentiam resitiuam propriè dictam, quæ nimirum respondet resistentia negatiua, non esse aliud quam formam aliquam impossibilem cum alia forma introducenda: v.g. potentia resitiua, in aqua est ipsum frigus impossibile cum calore. Neque dici potest, potentiam hanc resitiuam esse solam densitatem & duriciem, quibus multæ partes adunatæ, quod sunt duriores, eò se facilius tuerentur: verum enim est, quod forma impossibile vehementer iuuatur ex certis dispositionibus, densitate, duritie, firmiori vniione formæ

in subiecto; quæ sunt conditiones duntaxat ad resistentiam: rupes v.g. grauitatem habet quæ excluditur motus ab homine imprimendus.

Obiicitur primò. Resistentia negatiua vel est pura negatio, vel est aliquid positiuum. Non primum, quia posse resistere virtus est positiua; imò hæc appellatur resistentia formalis. Non secundum; nam resistentia non est actio, neque passio: ergo non est aliquid positiuum.

Resp. resistentiam hanc formalem & negatiuam benè quidem explicari per negationem, cum sit non admissio actionis, seu non pati ab agente; sed melius tamen explicari per connotationem, est enim entitas ipsa rei, quatenus connotat actionem agentis contrarij, quam non recipit per virtutem aliquam sibi propriam, quæ inanis redditur conatus agentis: non est autem actio; nam quantitas non est actiua; & tamen resistit alteri quantitati, ne ponatur in eodem loco; albedo non est actiua, & tamen resistit nigredini. Sed neque dici potest esse passio, cum resistere potius sit non pati ab agente; nam quando subiectum recipit actionem ab agente, dicitur pati; quando non recipit, dicitur resistere.

Obiicitur secundò. Agens post primum instans non acquirit nouam vim, qua vincere posset resistentiam passi: sed in primo instanti non habet vim ad illam vincendam: ergo neque postea vim illam habet: ergo agens vel in primo instanti totam inducit formam, vel non poterit vnquam illam inducere.

Respondeo agens immediatè post primum instans inducere partem aliquam formæ, non totam formam, quia non potest totam vincere resistentiam passi, sed tantum aliquam eius partem; forma enim contraria plus resistit toti contrarie, quam vni eius parti. Ad argumentum ergo distinguitur minor; in primo instanti agens non habet vim ad vincendam in eo instanti resistentiam passi, concedo; ad eam vincendam successiue, nego.

§. II.

*An, & quomodo necesse sit ut agens superet
resistentiam passi.*

Tripliciter comparari possunt actiuitas agentis, & resistentia passi: vel enim æquales sunt, & tunc dicitur proportio æqualitatis; vel resistentia passi superat virtutem agentis, & dicitur proportio minoris inæqualitatis; vel actiuitas agentis superat resistentiam, & est proportio maioris inæqualitatis.

Dico primò, nunquam posse dari actionem nisi à proportionem maioris inæqualitatis, id est agens non posse agere, nisi eius vis actiua sit maior quam resistentia negatiua ipsius passi.

Ratio est, quia tunc agens non operatur, quando non superat resistentiam passi; si enim non superat resistentiam, impeditur eius actio, cum resistere non aliud sit quam impedire actionem: sed resistentia maior impediri non potest per vim actiuam minorem: ergo agens non potest agere nisi habeat vim actiuam maiorem quam sit formalis resistentia ipsius passi.

Dico secundò, non esse necesse ad actionem ut actiuitas agentis superet resistentiam actiuam ipsius passi; sic enim colligitur ex dicendis 9. 2. de reactione, frigus enim ut tria reagit in calorem ut octo, à quo prouocatur & vincitur; quia scilicet quamuis calor ut octo maiorem habeat resistentiam

Resistere, resistentia.

Actiua, & negatiua.

Potentia resitiua.